CAP. XV.

De pietate & concordia in Monasteriis desiderata.

AD tertium. Intrans religionem considerare debet, *ad quos* vult intrare, utrum sint sanctæ conversationis, observantiæ regularis, quod non sint simoniaci, proprietarii, inobedientes, incontinentes, inter se divisi, litigiosi, clamosi, scurriles, leves, dissoluti otiis, ac studiosè observantes quietem.

Monachus in monasterio, quasi paradiso terrestri ducit vitam. Unde dicit Hieronym° in quadam suarum epistolarum: *Monasterium ubi est unio & caritas, est paradisus, & inhabitantes sunt Angeli Dei.* Ubi autem est divisio & dissensio, monasteriũ est infernus, & inhabitantes Diaboli sunt. Nam, ut ait Hieronymus: *Nihil est similius actibus Dæmonum quam litigare.* Sed, ut dicit Seneca ad Lucillum, *pacem habeas cum hominibus, bellum autem cum vitiis &c.*

Hæc pauca procul dubio mihi de religione cognita, prout nunc vobis, ut promisi, transmitto, proh dolor! non quod ego ita facio, sed vos una mecum admonendo exhortor, ut in his frequenter in cordibus ruminantes proficere possimus in vitam æternam. Amen!

TOMI III. PARS XI.

DE ANNUIS PENSIONIBUS MONACHORUM AC MONIALIUM,

Aliisque subsidiis, quibus privatim fruantur,

DECISIO MEDIA.

Ex MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

CAP. I.

Argumenta pro consvetudine inter Monachos, annuas pensiones, precarias, similiaque subsidia obtinendi.

UTrum consvetudo, qua quidam religiosi utrinsq; sexus habent precarias, seu annuas pensiones, seu subsidia à parentibus vel amicis, vel propriis laboribus, quibus utuntur seorsum, extra conventum, & frequenter, ex licentia superiorum, valeat & sit licita: Ita, quod tales religiosi sint sine periculo animarum suarum?

Et videtur, quod *sic.*

Primo. Quia hoc Ecclesia Romana scit & tolerat, Igitur hoc approbare videtur. Et per consequens hujusmodi consvetudo est licita.

Secundo ad idem illud *Johannes Andreæ in cap. Cum ad monasterium in Novella* dicit, quod Romana curia toleret, quod religiosi in Romana curia *loco vestium* capiant a suis prælatis annuam pensionem. Igitur hoc eadem ratione *loco cibi & potus* possunt capere. Cum *victus & potus* debeant religioso ministrari per suum superiorem, quibus debet esse contentus, *XII. q. 1. c. 5. Clericus qui. XVI. q. 1. c. 5. Si cupis.*

Tertio ad idem, *in eodem cap. in novella* dicit, quod moniales in monasteriis pauperculis ultra præbendam minus sufficientem, quæ eis in conventu ministratur, possunt *meliorare præbendam* ex subsidio parentum vel amicorum, vel per proprios labores. Igitur hujusmodi consvetudo valet.

Item *quarto*, hoc solum dicitur proprium, quod celatur coram prælato suo. Hic vero in casu nostro subditus habet licentiam a superioribus suis, ut per annuas pensiones, vel precarias, vel subsidia parentum vel amicorum, vel per proprios labores possint meliorare præbendam minus sufficientem.

Item *quinto*, necessitas non habet legem. Sed sæpe Prælati non possunt providere de bonis monasterii, minus suffi-

sufficientibus, præsertim prælati mendicantium ordinum, suis subditis. Igitur oportet, quod prælatus licentiet subditos suos, ut acquirant necessaria provictu & vestitu. Igitur &c. Alias prælati propter defectum necessariorum perirent.

Item *sexto* inducitur ad illud, *Qui clerici vel voventes. Decret. l. 4. t. 6. c. 7. Insinuante*, & quod ibi notatur, & *XXVII. q. 1. c. 7. De viduis.* Per quæ patet, quod monachus in domo sua cum bonis omnibus quondam suis remanere potest, & illa administrare, & in usus suos convertere de Abbatis licentia. Fortius ergo Abbas cum Capitulo potest facere monachum administratorem certæ pecuniæ, in certum necessarium convertendæ usum. Per argumentum *a majore*, de quo *Decret. l. 1. t. 6. De electione, c. 7. Cum in cunctis.* Et de toto ad partem, *De officio deleg. c. 28. Pastoralis.* Nam qui totam causam non delegat, certum articulum delegare potest, *De appell. c. 62. Cum causam, Et l. 2. t. 27. De re Jud. c. 18. Cum Bertholdus.*

Item *septimo* ad illud, quod monachus de licentia Abbatis potest aliquid possidere, licet non ut proprium, facit *XII. q. 1. c. 11. Non dicatis.* Quia ibi dicitur, quod vel sine licentia Abbatis potest possidere. Ergo cum licentia ejus potest. *Extrav. Decret. l. 3. t. 10. De his, quæ fiunt a Prælato, c. 7. Cum Apostolica*, in fine. Unde talis spoliatus petit restitutionem, *Dec. l. 1. t. 3. De rescriptis, c. 22. Cum dilecta &c.*

CAP. II.

Argumenta contra consvetudinem talia habendi subsidia privata.

IN oppositum, *contra consvetudinem* videntur esse quatuor.

Primo status monachorum. *Secundo*, subjectio eorum ad suum superiorem.

Tertio superioris officium. *Quarto*, regula Monachorum.

Primò, status monachi non permittit, eum habere proprium, vel aliquid possidere, *XII. q. 1. Nolo, &c. Non dicatis De statu monachorum c. 11. & c. Cum ad monasterium.* Ergo consvetudo est illicita, quæ facit eum proprietarium. Nec enim, quod una via prohibitum est, per aliam est concedendum, *De procurat. c. Tua.*

Item, cum sit speciale, quod monachus potest habere peculium ex injuncta sibi administratione, *De statu monachorum c. 11.* Et tamen certum, quod ille, licet sit administrator, non habet illud, ut proprium, etiamsi Abbas vel Episcopus, *De privilegiis, Decr. l. 5. t. 33. c. Cum olim.* Propter quod concluditur, illi administratori concedi detentionē tantum. Ex quo sequitur, quod nullo administratori etiam detentio etiam per Abbatem concedi potest. Facit *De privilegiis c. 9. Sane*, Ergo nec se ad illud per consvetudinem obligare potest, defraudando legem de hoc privilegio.

Quare circa *secundum* constat, qvod monachi Abbati vel superiori obedire tenentur, *De statu monachorum, Cum ad monasterium, 54. dist. Abbas.* Et sicut obedientia in exhibendo inest monacho, sic recipiendo inest Abbati, & huic Abbas renunciare non potest. Quia monachum manentem suum non potest absolvere ab obedientia. *De renunc. cap. Pridem.* Sed illa consvetudo quodammodo absolvit, si ratione consvetudinis monachus potest tollere *precarias.* Igitur &c.

Item, si conceditur hæc consvetudo pro *vestibus*, pari ratione, pro *vino* & *piscibus*, & forte pro *carnibus.* Et sic ex vi consvetudinis habebunt monachi præbendas distinctas, vel portiones privilegiatas, contra *canonem Decret. l. 3. t. 5. c. 19. Dilectus, 1. De præbendis*, & similiter cellas privatas, contra illud *XX. q. ult. Monachi. XII. q. 1. Necessaria, De statu monachorum.*

Circa *tertium* certum est, quod ad Abbatem pertinet tota potestas monasterii, *18. q. 5. Nulla.* Et debet esse discretus in regimine, *ead. q. c. Si quis Abbas.* Et de omnibus solicitudinem gerere debet, per *cap. Cum ad monasterium*, & secundum qvalitatem personarum eis providere Quod singulis Abbas faciet, ut in usu, *De præbend. De multa*, infin. exemplo Apostolorum, qui non æqua-

æqualiter omnibus, sed singulis dividebant, prout singulis opus erat *Act. IV.*

Sed si secundum hanc consvetudinem annua pensio non sufficeret pro monacho, vel abundaret plus, qvam monachus indigeret, distributoris Abbatis manus essent ligatæ. Et sic illicitum. Cum sit æquale vitium, negare necessaria, & dare superflua, 47. *Si quis, De officio custodis c. prim. & De jure prioratus in Clem. c. 1.*

Ergo consvetudo est iniqua, qvæ aufert Abbatis officium, providendo & distribuendo. Et sic non habet potestatem. Quia non servat honoris statum, sed confundit. 23. *q. 5. c. 24. Si apud.* Etiam solvit obedientiam, nec habet juris possibilitatem, 22. *q. 2. c. 15. Faciat.* Nec habet necessitatem, cum aliter providere possit monachis, ad illud *Dist. 1. c. 5. Consvetudo.* Ubi dicitur qvod lex debeat talis esse, quæ congruat religioni, disciplinæ conveniat, & saluti proficiat. Sed hæc consvetudo facit contrarium.

Quarto, cum regula monachorum sit approbata per sedem Apostolicam, & confirmata, *De relig. dom.* Si non licet illam alicui mutare, *De confirmatione utili vel inutili c. 1. & 11.* Concluditur ergo, qvod Prælatus hanc consvetudinem possit revocare, qvem sine interitu salutis servare non potest. Hic vide *Joh. Andr.* in regulâ, *Non est obligatorium.*

Sed experientia, quæ est rerum magistra, docet, quod hujusmodi religiosi utriusqve sexus sint inqvieti freqventer, inobedientes, nolentes reformari, neqve hujusmodi pensiones annuas ponere ad communitatem, etiam per superiorum jussum, & sic proprietarii, & alii lusores & fornicarii, bibuli & crapulosi, vestibus pretiosi. Et qvando alii monachi esuriunt & sitiunt, ipsi sunt inebriati, nec paupertatem, nec obedientiam servant, nec saltem communem mensam tenent. Vide ergo, qvam periculosus sit status *Superiorum* hujusmodi *religiosorum*, qvi hoc sciunt in subditis fieri, & tacent, nec prohibent. Ecce omnes animæ hujusmodi subditorum requirentur de manibus superiorum, sive claustralium', sive provincialium. Vide, qvam periculosus sit status hujusmodi *præbendariorum*, qvi substantialia ordinis non servant, qvia perjuri, qvia nolunt obedire *generali concilio, quod utiq; voluit omnes ordines reducere ad communem vitam.* Qvare sunt extra statũ salutis: Qvia monachus habens obulum, non valet obulum, & qvi habet proprium, Deus negat sibi suum proprium, quod est misereri & parcere. Et sic scandalizant Ecclesiam & præsertim laicos, incitantes eos contra clerum. Væ illi, per qvem scandala fiunt, seu veniunt.

CAP. III. *Sententia media.*

AD illam quæstionem respondendo tota quasi Ecclesia quoad religiosos confunditur.

Quia, sicut *rationes ante oppositum* videntur ostendere, quando subest rationalis causa, prælatus religiosus cum suis subditis professis dispensare potest, ut religiosi professi habeant peculium seu precariam. Ut videlicet, quando superior subditos nutrire aliter non potest in communi, sed subditi possunt se nutrire diversimode, unus prædicando, alter docendo & regendo, alter scribendo, alter meditando in libris, alter per parentes & amicos & subsidio eorum, vel patrimonium ad eum devolutum. Et non essent præmissi jam ita diligentes in acquirendo pro communi utilitate, sicuti pro ipsis in speciali.

Rationes vero *in oppositum* videntur ostendere, quod hoc sit contra statum religiosorum professorum, & quod per hoc restringantur substantialia ordinis, & multa mala superius expressa oriantur.

Et quia in causa rationabili superior posset *dispensare*, quando subest causa rationabilis, dummodo subditi parati essent hujusmodi precarias dare in manus superioris ad communem utilitatem, quando superiori placet, & videtur sibi opportunum: Et quia, quæ sit hujusmodi rationabilis causa, non est concor-

concordia, nec inter Prælatos, nec inter subditos, & quod subditi sint parati dimittere hujusmodi precarias omni tempore: Ideo *melius est*, quantum possibile foret, *raro vel nunquam mittere hujusmodi precarias, nisi ex notoria causa & evidenti, propter scandala*, & ne substantialia ordinis per hoc infringantur.

CAP. IV.

Argumenta, quod monachi de propriis viventes sint in periculo damnationis.

SEquitur alia quæstio. *Utrum religiosi Prælati utriusq; sexus non viventes communiter sed singulariter, sint cum subditis in statu salutis.*

Et videtur, quod *non.*

Quia de communi deceret vivere communiter, quoad esum, potum, vestitum, & servare regulam, jejunium, & non comedere carnes, nisi essent infirmi, & alia plura observare, quæ non observant. Ergo sunt in statu periculoso magis, quam seculares clerici. Quia de quanto status altior, de tanto casus periculosior.

Secundo ad idem. Quia fundant se super dispensatione invalida, credentes se in omnibus dispensare. Sed non est verum. Quia, sicut dicit *Johannes Andreæ super c. cum ad monasterium De statu monachorum, in novella &c.* licet summus Pontifex posset dispensare cum monacho, ut possit contrahere matrimonium, si causa maxima subesset, ut conversio gentilium, vel pax magis reformanda, tamen, si legitima causa non subest, non valet dispensatio. Imo, ut dicit idem, non potest Papa dispensare contra vota, vel ut monachus habeat proprietatem, nisi magna causa subest. Et, si dispensat sine magna causa, non valet dispensatio, & Papa peccat; & utentes eadem dispensatione decipiuntur. Hic autem in casu nostro Prælati religiosorum, dispensant contra vota, ut subditi non servent paupertatem, imo nec obedientiam, castitatem, nec regulare jejunium. Cum ergo nec Papa possit quid contra promissa Deo facta, nec causa legitima & magna subest: Ergo eorum dispensatio non est dispensatio, sed subditorum & Prælatorum deceptio.

Tertio, talis vita religiosorum tendit ad noxam & ad subversionem totius vitæ religiosæ. Ita ut non serventur tria substantialia ordinis, nec paupertas, nec obedientia, nec castitas, & alia regularia. Sed nec statuta, nec leges, nec consuetudines valent. Sic tendentes ad noxam & subversionem Ecclesiæ quoad magnam portionem ejus magis notabilem, scilicet religiosorum. Ergo talis vita est damnabilis, & omnino abjicienda à statu Ecclesiæ.

Item *quarto.* Quod omnes regulares fratres indigeant hujusmodi dispensatione, ut non communiter vivant, sed singulariter: Et quod tot sint procuratores in conventu, quot fratres, quilibet rerum suarum: Et quod hic subsit licita causa dispensandi quoad singulos fratres: Non videtur unquam occurrere. Sed magis si quilibet fratrum ea, quæ possidet, poneret ante communitatem: Melius & abundantius provideretur quam sic.

Quinto, interim, quod Prælati examinant, an possint conventum decenter nutrire de his, quæ singuli fratres possunt comportare, & possint eos ad hoc compellere, ut omnia, quæ habent, ponant ad communitatem, semper sint culpabiles & inexcusabiles. Quia tenentur subditos suos ad communem vitam compellere, Et si non possunt ad hoc attrahere propter rebellionem vel propter causam prætensam rationabilem, saltem aliquos ad communem vitam juvando & sibi obediendo attrahant, ut se & sibi obedientes excusabiles faciant. Quod minus offendat, si saltem aliquos ad communem vitam adducat, faciendo diligentiam, quam torpendo hoc permittat, se & plures suos subditos ad perpetuam damnationem inducendo.

Sexto, Dispensatio superioris cum subditis in præmissis non excusat nec prodest.

prodest. Nam sicut præmissum est, nec summus Pontifex super proprietatem vel vota cum religiosis sine legitima causa potest dispensare. Ergo multo minus alii inferiores Prælati infra Papam dispensare possunt.

Septimo, Talis vita singularis tollit officium superioris in præcipitium, & singulis necessaria distribuendo, & obedientiam inferiorum in præmissis superioribus exhibendo, & superflua retinendo. Et æquale vitium est in præmissis, ut superior vel non necessaria seu superflue vel diminute provideat, & quod subditi in necessariis & mediocribus non sint contenti.

Octavo. *Johannes Andreæ in c. Cum ad monasterium*, super non proprietate dicit: *Nec videtur dici: Quando subditus de qualitate & quantitate nihil celat superiori, nec sine ipsius consensu vel sine scientia aliqua recipit vel expendit, paratus totum reddere & dimittere ad jussum Abbatis. Tamen res periculosa est, & invidiæ & exempli mali causa. Consulit Ostiensis Abbati, ut, nisi ex causa magna & evidenti, talem licentiam non det monacho, non habenti administrationem.* Ecce hic loquitur de monacho, cui tam raro debet dari hujusmodi licentia. Hic vero datur omnibus subditis licentia, & de omnibus rebus, quæ detinet subditus, quæ etiam ad libitum expendit, sicut placet, nec etiam interrogando superiorem de singulis. Quia superior libenter dat hujusmodi licentiam sine causa legitima subjectis suis, non solum se sed & subditos decipiendo, sicut patet ex illa ratione superius posita. Et etiam hoc non deberet fieri nisi in his subditis, qui habent administrationem, ut sunt officiales, procuratores, ut patet *De statu monachorum c.* 11. Hic vero omnibus subditis admittitur hujusmodi administratio pecuniæ.

Nono, cum sit duplex *usus rerum temporalium*: Scilicet *certus*: Qui monachis non potest concedi, quia hoc importat proprietatem in subditis, quem tamen usum pro nunc prælati concedunt, de quo vide *Humbertũ super regulam Augustini*: Et alius est usus *incertus*, qui monachis potest concedi, si subsit necessitas vel *utilitas*, *communis*, non privata, secundum N. ad Eugenium Papam Alias dispensatio vocatur dissipatio.

Sed communis utilitas rarissime occurrit in his dispensationibus, sed singularis. Sicut patet in effectu, quo quilibet quærit utilitatem suam singularem.

Decimo. Cum experientia sit rerum magistra, hujusmodi vita singularis generat multas abusiones, & hujusmodi singulariter viventes possident aurum & argentum, quibus omnia obediunt, & nec refectorium nec dormitorium visitant, variam supellectilem possident, vestes pretiosas, lectos, famulos & ancillas, concubinas, equos & canes venaticos in locis angulosis, vel etiam in refectorio lautius sibi providentes, & sic de pluribus aliis abusionibus. Quis enim poterit de hoc dubitare, quin *Prælatus* cum *talibus juvenibus dispensans*, & hi, cum quibus sic dispensatur, sint in statu damnationis, & dispensatio cujuscunque Papæ, generalium vel singularium superiorum quorumcunque, in nullo eos relevet.

Undecimo, quia tanta est inæqualitas in tali vita singulari, quod unus abundat, alter deficit, unus sitit, alter ebrius est, unus saturatus, alter famelicus est. Et sic de vestitu, & in omni indigentia humana eorundem. Cum *Augustinus* dicat: *Et non dicatis aliquid proprium, sed vobis omnia communia.* Et sic sanctus Franciscus, Benedictus, Dominicus. Hæc ergo vita singularis est inæqualis, diabolica, proprietatem in se includens, paupertatem excludens, & cetera, quæ ordinis sunt.

Duodecimo, beat° *Bernhardus in libro de præcepto & dispensatione* dicit: *Quicquid de spiritualibus in ipsa regula traditum est, in manu Abbatis nunquam relinquitur Deinreliqua pars, quæ in corporalib° observantiis, ne ipsa quidem ejus in voluntate ita posita est, ut ejusdem serviat voluntati, sed magis charitati. Neq; enim Abbas supra regulam est cui semel ipse se spontanea professione submisit.* Et ibidem statim: *Super fratrum transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur qui Abbas eligitur,*

mandatorum cultor & vitiorum ultor.

Tredecimo. Omnis regularitatis, & omnis rigoris declinatio, ordinarie ex hac dispensatione exorta est. Quia superiores carnales in se nolunt displicere subditis, æstimantes, se sine rationabili causa posse in omni casu vere, exceptis tribus substantialibus, dispensare. Quod non possunt propter multas causas superius expressas.

CAP. V.

Argumenta, quod monachi de subsidiis propriis viventes non versentur in discrimine salutis.

IN *oppositum* arguitur.

Cum sint tot Doctores Theologiæ, & utriusque juris, in ordinibus mendicantium, non videtur verosimile, quod oculis apertis cœci scienter errarent: Et similiter multi veri devoti in dictis ordinibus inviti suas conscientias macularent.

Secundo, sanctus Thomas ait: In qualibet communione necessario abstinere à carnibus, non ponitur, in regula beati Benedicti ut præceptum, sed ut statutum, quod non habet vim præcepti, sicut nec alia hujusmodi *statuta*. Ut *Monachus comedens carnem* eo ipso non peccat mortaliter, nec facit contra votum, nisi comederet ex inobedientia & contemtu. Sed incurrit pœnam, in statutis expressam & contentam. Et tamen comedere carnes non licet sanis sed infirmis. Sic similiter de *jejunio regulari*, quod non est institutum præceptoriè, sed sub pœna. Quod quis solvens non incurrit culpam, nisi propter præceptum vel contemtum, sed pœnam. Si ergo non servantes hæc duo non peccant, multo minus, qui non servant *minora* his duobus.

Tertio, sedes Apostolica sic dispensavit cum ordine *Prædicatorum*, quod *ter in hebdomada comedant carnes*, quia non semper prandia certa cum ovis habent, sed comedunt cibum, quem possunt habere, maxime in itinere, & in terris suis, quando sunt extra monasteria sua. Et eadem est ratio de aliis *Mendicantibus*.

Quarto, cum sint varii ordines, habentes varias regulas, quis poterit scire singulorum ordinum regulam, & pertinenter arguere contra excessus eorum.

Quinto, singulariter vivere non est contra paupertatem, obedientiam, castitatem. Quia sic vivere ex licentia & licita causa stat cum paupertate, obedientia, castitate. Ergo, sic vivere singulariter, non ponit, aliquem religiosum esse in statu damnationis.

Sexto, Romana curia scit & tolerat istam vitam: Ergo talem vitam videtur approbare. Consequentia tenet per istam Regulam juris: *Qui tacet.*

CAP. VI. *Sententia media.*

AD istam quæstionem pono aliquas scholasticas conclusiones.

Prima conclusio. Ad istam vitam religiosorum sequuntur multa mala, & inordinationes multæ, etiam abusiones & scandala, quibus laici contra religiosos insurgunt, & eis obloquuntur. Hæc *conclusio* patet ex experientia, quæ est rerum magistra, & per rationes ante oppositum.

Secunda conclusio. Prælatus dans licentiam sic singulariter vivendi suis subditis & religiosis, & videns hujusmodi abusiones oriri ex sua licentia, & non revocat hujusmodi licentiam, nec aliqua ponit remedia contra hujusmodi abusiones, in quantum melius potest, est in statu damnationis, & omnium malorum, & culparum, quæ ex tali sua licentia fiunt, est reus, & sanguis animarum subditorum suorum de manibus ejus requiretur. Patet hæc *conclusio*, Quia causam damni dat, ergo damnum dedisse videtur, per regulam juris, & per rationes ante oppositum motas.

Correlarium hujus conclusionis, quod similiter Papa, vel Generales ordinum mendi-

mendicantium, vel Provinciales, vel superiores particulares monachorum, cooperantes ad hujusmodi licentias, super singulari vita, ubi tales abusiones sequuntur, sunt in consimili damnatione, sicut dicit conclusio. Patet ex eadem radice.

Tertia conclusio. Sive Papa, sive quicunque alii inferiores Prælati, dispensantes cum suis inferioribus, sine legitima causa, videntes ex dispensationibus suis hujusmodi dissipationes exoriri, & non revocant hujusmodi abusiones, sicut melius possunt, sunt in statu damnationis, & omnium malorum, quæ ex suis licentiis fiunt, sunt participes. Patet hæc conclusio ex præmissis, & rationibus ante oppositum motis. &c.

Correlarium istius conclusionis: Omnis dispensatio super votis, & proprietate religiosorum, ex quibus præfatæ abusiones sequuntur, sunt dissipationes, & non validæ dispensationes. Quia non fiunt ex rationabilibus causis, & non excusant Prælatos, sed magis accusant. Patet ex præmissis & rationibus ante oppositum.

Quarta conclusio. Nulla tolerantia vel dispensatio vel dissimulatio superiorum in præmissis abusionibus excusant subditos. Patet, quia non fit præscriptio culpis. Et de quanto diutius animam culpa detinet, de tanto reddit eam infeliciorem.

Quinta conclusio. Prælatus ex legitima causa potest cum suo subdito, uno vel pluribus, *dispensare*, ut usum aliquarum rerum habeat ad tempus ad voluntatem sui Prælati, ita, quod subditus nomine Prælati detineat hujusmodi res, ea tamen conditione quod sit semper paratus resignare hujusmodi res, quandocunque superiori placuerit, & quod non abutatur his rebus. Patet, quia subditus ex licentia superioris potest esse in Studio vel in peregrinatione, vel in Romana curia nomine monasterii ex legitima causa, & peculium ex licentia superioris potest detinere.

Et per has conclusiones sit *responsum* ad rationes hinc inde factas. &c.

CAP. VII.

Consilium cum pio voto monachis & Monialibus datum pro pacanda illorum conscientia.

ITem super proprietate, qvam proh dolor continuare & palliare nemo potest, sic duximus amicabiliter interloqvendum: Qvod tales devoti inter vos, fratres vel sorores, qvæ hujusmodi salutarē perfectionem religionis libentius sectarentur, ut merito tenentur, & propter penuriam & paupertatem monasterii, & alias, impeditæ, offerre debeant sponso suo Jesu Christo hujusmodi impedimenta, qvibus minus valeant, & promtam ac devotam voluntatem, qvæ semper eidem suo sponso Jesu Christo obedienter colatur, submittant, ut, qvod effectu non valeant, promta tamen voluntate anhelent. Hoc tamen, qvod ab eis Deo inspirante recte & regulariter postulatum est, omnibus vobis mandatum est. Qvamvis communem vitam, ad qvam tenemini, non tenetis, nihilominus ab observatione ipsius, si communicatur, nullatenus vos absolvit.

Qvare volumus & in Domino exhortamur, reqvirimus & monemus, qvatenus nec vos, nec aliqva vestrum, qvæcunqve etiam *sororum professarum*, saltem ab hujusmodi bona & promta voluntate voluntariæ paupertatis amplectenda, sitis & sit, alienæ aut aliena.

Et ut *discordia*, qvoad hoc inter vos amoveatur, sic dignū duximus observandum, qvod nulla vestrum aliqvod proprium sine scitu & consensu præpositi & priorissæ possideat, sed exhibitis & præsentatis singulis bonis spontanee, & id vobis devote *petentibus*, usus eorum bonorum ad necessaria vestra, non superflua, ab eisdem benevole concedatur.

Per hoc tamen nulli vestrum licentiam proprii damus, aut aliqvo modo consentimus habendi. Sed verius putamus

TOMI III. PARS XIII.

THEOLOGORUM CONSTANTIENSIS CONCILII DIFFUSA CONDEMNATIO XLV. ARTICULORUM WICLEFI.

Ex tribus antiquissimis Codicibus MSCtis,

CÆSAREO VINDOBONENSI, Part. II. Act. C.C. f. 151. b.

|h. tit.

Bona collecta in Concilio Constantiensi & masticata ab eodem contra articulos Johannis Hus (Wiclefi) præmissos.

Et ACADEMICIS LIPSIENSIBUS, uno *in fol.* altero *in 4.* In quorum illo hæc inscriptio: *Compendium de reprobatione drticulorum hæreticalium Bohemorum.*

In altero nihil in fronte scriptum.

ARTICULUS I.

Substantia panis materialis & similiter substantia vini manent in Sacramento altaris.

ARTIC. II.

Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.

ARTIC. III.

Christus non est in eodem Sacramento identice & realiter in propria præsentia corporali.

QUia sancta mater ecclesia ex textib' & sententiis Evangelicis & Apostolicis determinavit clare & expresse in capitulo: *Firmiter credimus*, (*Decret. l. 1. tit. 1. c. 1.*) & ibi dicit, se firmiter credere, & simpliciter confiteri inter alia, quod sub speciebus panis & vini corpus & sangvis Christi veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus & vino in sangvinem, potestate divina: Transsubstantiata dico, tali transsubstantiatione, qua panis & vinum secundum corporales eorum substantias sic convertuntur substantialiter, & transeunt in veras substantias corporis & sangvinis Christi, quod nequaquá illæ substantiæ panis & vini remanent in sacramento altaris, sed species panis & vini sine subjectis, sub quibus sicut speciebus peregrinis corpus & sangvis Christi veraciter continentur tanquam *cibus & potus sacramentalis & mysticus*, quo corpus Christi mysticum & sacramentale in loco peregrinationis suæ a Domino hic super terram habet cibari & potari, sacramentaliter & mystice, refici, sustentari, oblectari, nutriri, augeri, cum membris suis, & ad perfectam staturam sacramentalem & mysticam perduci.

Quod autem de tali transsubstantiatione, *in cap. Firmiter credimus* præ allegato, loquatur Ecclesia, & non de quacunque alia noviter ficte excogitata: Patet manifeste, quia jam per ducentos minus forte duob' annis à tempore *Innocentii III.* qui cum M CCC & XV. Prælatis, Romæ in concilio generali ecclesiastice in nomine Domini congregatis, illam prædictam determinationem fecit, (fecerunt) & illam fidem simpliciter confessus est, (confessi sunt) scilicet, *quod sub speciebus panis & vini corpus & sangvis Christi veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus & vino*